

SECTIO III^a

DE LOCIS DEO SACRIS.

Loca Deo sacra dicimus Ecclesias et sacella in quibus divina officia aguntur, insuper et cœmeteria quibus condiuntur corpora fidelium defunctorum.

ARTICULUS I. — DE ECCLESIIS ET SACELLIS PRIVATIS.

Multa jure canonico sancuntur de erectione Ecclesiarum, de illarum consecratione, de sacra suppellectili, de distinctione inter varias Ecclesias adhibenda, pro gradu dignitatis, tandem de Ecclesiarum immunitate.

§ I. De erectione Ecclesiarum et de oratoriis privatis¹.

547. Ecclesiæ et oratoria publica dicuntur sacræ ædes ad Dei cultum dicatæ, ad quas omnibus patet aditus. Construuntur in loco publico, aut saltem, si intra alicujus dominia, sunt cuique aditu faciles. Sacella, seu oratoria privata, ea sunt quæ tantummodo inserviunt domino ædium, hujusque familiæ. His prænotatis :

¹ Cf. Commentaria Canonistarum in tit. DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE, xxxii, lib. V, et in tit. DE CONSECRATIONE ECCLESIE VEL ALTARIS, lib. III Decretalium. — Epistola Encyclica Benedicti XIV *Magno cum animi*, an. 1751, ad Episcopos Poloniæ, *De tollendis abusibus ab oratoriis privatis*.

* 548. — I^o *Quæ conditiones requirantur, ut quis erigere possit Ecclesiam et oratorium privatum?*

I. Ecclesiam seu oratorium publicum, juxta sacrorum canonum decreta, ædificare aliter non licet quam assentiente Episcopo, qui per se, vel per sacerdotem ad id deputatum, crucem ligneam figit in loco ubi sacrum ædificium erigendum est; atrium designat, et primum lapidem in fundamentis ponendum benedicit. Ita statuunt *Rituale Romanum et Pontificale*, juxta veterem traditionem, quam consignatam legimus in canone concilii Aurelianensis, cap. *Nemo Ecclesiam*, 9, dist. 1, DE CONSECRATIONE.

Episcopus non concedit facultatem expetitam ædificandi novam Ecclesiam, nisi sub duabus conditionibus : 1^a ut provideatur sumptibus necessariis ad conservationem sacri ædificii, et ad cultum divinum qui in ea peragendus erit; 2^a ut hæc nova Ecclesia præjudicium non afferat aliis Ecclesiis, in eodem loco jam ante erectis.

De priori conditione statuit decretum concilii Aurelianensis citatum; requirit enim ut ædificaturus Ecclesiam, *ostensa donatione, præfiniat quæ ad luminaria, et ad custodiam et ad stipendia custodum, sufficiant*. Pro sufficienti dotatione assicuranda, non attenditur solummodo ad redditus certos quos fundator constituerit, sed ad eleemosynas et oblationes fidelium, quæ probabiliter obvenient, occasione divinorum officiorum et administrationis sacramentorum.

An nova Ecclesia cæteris præjudicium afferat, judex est Episcopus, data iis quorum interest libertate suas querelas opponendi. Lucius III hæc rescripsit ad Episcopum in cap. *Intelleximus*, 1, DE NOVI OPERIS NUNTIATIONE : « Fraternitati Tuæ « mandamus, quatenus diligenter considerans... quia nulla « Ecclesia in præjudicium alterius est construenda, negotium « ipsum, secundum legum et canonum statuta, non differas « terminare. » Omnis qui se gravatum reputat novæ Ecclesiæ constructione, puta, si parochus existimet capellam constru

in præjudicium Ecclesiæ parochialis, si conventus Regularium queratur de novæ ædis constructione, in juris sibi quæsiti gravamen, potest novum opus quod inceptum est *nuntiare*, tum illud ædificanti, tum Episcopo; ex quo autem nuntiatio facta est, jure communi præscribitur ut opus inchoatum cesset, donec superior qui judicis partes habet, auditis utrinque allegationibus eorum quorum interest, pronuntiet, an male, an bene fundata sit oppositio interjecta. Tres menses conceduntur nuntianti novum opus, ut juris sui præjudicium probet. (Cap. *Is cui*, 4, eod. tit.)

Tanti refert præcavere injurias alteri inferendas, ut jus canonicum olim præscripserit quod si quis, nulla ratione habita oppositionis, operi incepto non supersederet, teneretur quidquid post factam nuntiationem ædificatum fuerit destruere, suis propriis impensis.

Facultatem legitime concessam, id est rite adimpletis formalitatibus jure præscriptis, Episcopus, illiusve successor, revocare non potest, præsertim si exstructum jam fuerit oratorium publicum; quia datur in perpetuum, salvo tamen jure locum interdicens, si causa canonica intercesserit. Decet ut indultum superioris, legitime concessum, maneat etiam post illius mortem. Episcopus igitur factum sui antecessoris revocare non debet, sed illud servare; præsertim si qui rescriptum obtinuit, detrimentum experiretur, ob impensas hactenus factas¹.

*549. — II. Jure communi non licet erigere oratoria privata in quibus Missæ celebrentur, nisi ex indulto S. Pontificis, exceptis casibus mox memorandis.

Sæculis ante concilium Tridentinum elapsis, fideles frequenter confugiebant ad SS. Pontifices ut auctoritate apostolica obtinerent facultatem habendi oratorium privatam; id etiam, jure proprio, concedebant Episcopi, prout sibi opportunum videba-

¹ Cf. *Thesaurum Resolutionum S. Cong. Concilii*, 6 junii 1840, tom. C, pag. 179-189.

tur; sed in Galliis rariora erant hujusmodi privilegia, ne fideles amoverentur a suis respectivis parochiis. Concilium Parisiense, habitum ann. 1528, injunxit suffraganeis Episcopis, ut faciles non sint ad consecranda altaria portatilia, « ut magis ac magis » tollatur occasio celebrandi Missas in locis ac oratoriis privatis. » Insuper statuit licitum non fore « in oratoriis privatis, quæ in domibus privatorum interdum habentur, missas celebrare, prætextu dispensationis Sedis Apostolicæ, nisi prius visis ab Episcopis, recognitis et approbatis dictis litteris dispensationis¹. »

Cum graves abusus ea de re induxissent importunæ preces fidei, et nimia indulgentia plurium Episcoporum, plures e diversis regionibus a concilio Tridentino postulaverunt ut tanto malo efficax remedium adhiberetur; quamobrem prodiit concilii decretum istud: « Ne patiantur (Episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi... non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque. » (Sess. xxii, Decret. *de Observ. et Evit. in celebr. Missæ*.)

Decretum concilii Tridentini omnes ab initio eo sensu interpretati sunt quod interdiceretur celebrare missam in domibus privatis, in cubiculis, aliisque locis profanis ædium, nec id Episcopi tolerare deberent extra casus raros quibus urgeret ratio gravis derogandi huic disciplinæ. At simul pluribus persuasum fuit non interdici eodem decreto oratoria privata in domibus privatorum erecta, dummodo visitata et approbata essent ab ordinariis locorum, et hæc videtur fuisse communissima opinio, temporibus concilium Tridentinum proxime secutis. Plura concilia provincialia, tam in Italia quam extra Italiam

¹ Labbe, *Coll. conciliorum*, tom. XIV, col. 470.

celebrata, quibus aderant præsules qui synodo Tridentinæ interfuerant, id concedi posse ab Episcopo sanxerunt, præscriptis cautionibus adhibendis ut oratoria illa separarentur a locis profanis, et decenter orarentur. Quin imo ipsa sacra Congregatio concilii haud semel in eodem sensu responsa dedit, et fertur S. Pium V declarasse anno 1568, ex sententia ejusdem Congregationis *oratorium arbitrio ordinarii erigi posse in aliquo palatio, in honesto domus et opportuno loco ad sacrum missæ usum*¹. Textus concilii huic interpretationi facile accommodatur. Hæc enim verba : *Ne patiantur Episcopi privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda et visitanda*, per se non excludunt oratoria privata, capellas quas privati in suis domibus extruxerint, ad divinum cultum destinatas et ab omni usu profano separatas, vox *oratoria* æque significat oratoria privata et publica; quin etiam de oratoriis privatis potius intelligeretur, siquidem oratoria publica vix secernuntur ab Ecclesiis. Attamen cum postea nonnulli Episcopi ea de re dubitarent et sua dubia proposuissent, Sacra Congregatio, quæstione de novo expensa, respondit die 9 martii, an. 1577, non posse concedi ab Episcopo facultatem celebrandi missam in oratoriis existentibus in domibus privatorum; et anno 1615 alia prodiit declaratio, jussu Pauli V ad quarundam regionum nuntios apostolicos transmissa, in qua declaratur *facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Romano Pontifici reservatam*. Omnes quæ, ab illo tempore, responsiones datæ sunt circa oratoria privata, eandem disciplinam confirmant et ita explicant jus commune, cui proinde standum est in praxi, nisi intercesserit, in gratiam quorundam Episcoporum, titulus legitimus aliter agendi.

Excipiuntur a lege communi : 1° Oratoria Cardinalium et

¹ *Études religieuses, historiques et littéraires, par les Pères de la Compagnie de Jésus*, an. 1865, pag. 1013-1058; an. 1864, pag. 188-213.

Episcoporum (n° 185) : 2° oratoria seu capellæ seminariorum, regularium conventuum, confraternitatum, conservatoriorum, rite et canonice erectorum, hospitalium et carcerum; hæc enim in lege communi non comprehendi sæpe declaravit S. Congregatio, nec censentur oratoria privata : 3° casus gravis necessitatis. Sanctus Carolus Borromæus id statuendum curavit in iv concilio Mediolanensi : « Episcopus omnibus Missam in oratorio « privato celebrandi facultatibus hactenus concessis certos limites modumque præfiniat, ita ut, præter causas quas magnas « et urgentes is judicaverit, in ipsis privatis oratoriis Missam « celebrari ex facultatibus illis deinceps non liceat, nisi hoc « fuerit a Sede Apostolica indultum. Quam moderationem diligenter adhibeat, si quando in posterum ejusmodi facultatem « concedendam censuerit. » Igitur sanctus ille et eximius disciplinæ instaurator, existimavit Episcopos posse quandoque dare facultatem sacrum faciendi in oratoriis privatis, si nempe graves causæ id expostulent. Idem tenuerunt plures doctores auctoritate commendabiles, rati potestatem Episcoporum restrictam fuisse, non vero penitus ablatam decreto concilii¹. Quæstione, annis proxime elapsis, delata ad S. Congregationem : « An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem « concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu : Responsum « fuit : *Negative, nisi tamen magnæ et urgentes adsint « causæ, et per modum actus tantum.* » Die 20 septembris 1856.

*550. — *Nota.* Quando S. Sedes indultum concedit, conditiones apponere consuevit, nempe, 1° Ut oratorium ab Episcopo, vel ab eo cui vices suas delegaverit, visitetur, inspiciendi causa num decens et apte compositum sit; 2° ut una tantum Missa in die celebretur; nec diebus solemnibus festorum unquam celebretur, nisi aliter concessum fuerit; 3° ut dum fit sacrum, præsens sit indultarius, is scilicet cujus nomen

¹ Cf. S. Alph. de Liguori, *Theologia moralis*, lib. VI, n° 559.

reperitur in fronte indulti, seu inscriptione designatur, aut saltem qui in corpore ejusdem indulti nominatur; nam privilegium est personale, adeo ut nequidem consanguinei et affines possint audire Missam in sacello privato, nisi illo præsentem; 4° ut serventur jura parochialia; id est, nulli actus fiant qui proprio jure ad Ecclesiam parochialem attinent, v. g., collatio baptismi, nuptiarum benedictio, communicatio paschalis; 5° præter etiam communionem paschalem, sacramentum Eucharistiæ dispensari non debet in oratoriis privatis, nisi de licentia Episcopi, cujus præscriptionibus vult Sancta Sedes ut fideles morem gerant. Idem de sacramento Pœnitentiæ dicendum, eo magis quod, jure communi, vetitum sit confessiones audire in privatis ædibus, nisi ex causa rationabili¹.

551. — II° *Quales esse debeant situs et forma Ecclesiarum et oratoriorum privatorum?*

I. Nihil jure canonico sancitum fuit de situ et forma Ecclesiarum; more tamen invaluit ut, quantum fieri potest, Ecclesia sit versus orientem, et forma aliquam analogiam servet cum templo Hierosolymitano, quod *Atrium, Sancta, et Sancta Sanctorum*, habuit.

Consuetum olim fuit christifidelibus ut suas orationes Deo offerrent, facie versa ad orientem, quo symbolice repræsentatur Christus, *sol oriens mundo*; e contra vertebantur in septentrionem quando faciebant adjurationes in dæmonem. Eam ob causam sanctuarium plerumque olim respiciebat in orientem; quem usum sanctus Paulinus *usitatioem* dicit. Quoad vero formam, non una omnium Ecclesiarum fuit; aliæ quippe in modum crucis, aliæ recto parietum et porticum seu alarum ordine; nonnullæ in orbem constructæ erant; in omnibus autem distinguebatur sanctuarium, in quo sacra mysteria agebantur, chorus quo clerici assidebant, et pars fidelibus reservata, quæ

¹ Ita Rituale Romanum, *de Sacram. Pœnit.* — Clausulas quæ sæpius apponuntur in Indulto explicat S. Alph. de Liguori, lib. III, n° 518. Cf. etiam Const. *Magno cum animi* mox citatam, §§ 12 et seq.

navis nomen sortita est, quia sæpius forma Ecclesiæ speciem aliquam navis præferebat. Quocumque ordine vel stylo architecturali Ecclesia construatur, summopere expedit ut hæc tria: navis, chorus et sanctuarium, convenienter separentur, et cuncta aptentur divinorum mysteriorum celebrationi, atque religiosæ animorum recollectioni.

II. Oratorium parietibus extractum esse debet, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, formam habere capellæ, ita saltem quod altare quibusdam gradibus e solo assurgat, et nulli usui profano inservire. Nihil amplius requisitum videtur ex jure communi, sed attendere oportet ad statuta localia, quorum unum et alterum exempli causa, referimus. Concilium Mediolanense vi prohibuit ne « a parte superiori, « vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omnino locum habeat, « ubi aut dormiatur, aut habitetur, aut quidquam profani fiat. » Rituale Ecclesiæ Parisiensis fert: « Antiqua disciplina constitutum est ut oratoria in loco decenti et honesto, atque ab « omnibus usibus domesticis libero, extruantur. Justam habeant « amplitudinem, nempe longitudinis metra saltem quatuor, « latitudinis vero et altitudinis tria metra; nullum supra debet « existere cubiculum, in quo lectus cuiquam sternatur. » Singuli tenentur suæ diœcesis præscriptionibus debitam obedientiam præstare.

§ 2. De benedictione et consecratione Ecclesiarum¹.

*552. — I° *Quid sit benedictio Ecclesiarum; in quo benedictio simplex a consecratione differat; utrum omnes Ecclesias benedici aut consecrari necessarium sit?*

I. Ædes ad divinum cultum destinatæ, duplici modo sanctificari possunt, benedictione simplici, vel consecratione; antequam

¹ Cf. Quarti, *de Sacris Benedictionibus*, ad calcem commentarii *de Rubricis Missalis*. — Azevedo, Exercitatio LXIX, *de Dedicacione Ecclesiæ*.

vero discrimen assignetur inter utrumque, revocandum est, ex doctrina theologorum et canonistarum, quid sit benedictio ecclesiastica.

Benedictio est actus religionis, quo, per invocationem divini nominis, aliquid boni confertur, aut postulatur. Sensu autem ad rem præsentem accommodato, et qualis intelligitur de benedictionibus sacerdotalibus, ritu ecclesiastico peragendis, est actus ordinis et jurisdictionis quo minister, ad id suo munere deputatus, per Ecclesiæ preces et merita oblata, Deum precatur ut effectus gratiæ, ad mentem ipsius Ecclesiæ, seu personis, seu rebus, applicetur.

Est utique in Ecclesia communio sanctorum, quæ consistit simul in vinculis internis et externis quibus fideles Christo connectuntur, in mutua communicatione bonorum spiritualium. Principium autem hujus communicationis est Spiritus sanctus, qui a capite in membra corporis diffunditur. — Preces et bona justorum triplicem valorem habent: sunt satisfactoria, meritoria, et impetratoria. Quatenus meritoria, prosunt tantummodo operanti; quatenus autem satisfactoria, et impetratoria, possunt aliis prodesse, si nempe operans hæc cæteris applicare intendet¹. — Christus suas satisfactiones et preces Ecclesiæ contulit: beata Virgo, in omnibus Christo consentiens, Ecclesiæ etiam merita superabundantia satisfactionum cessit, ut omnibus prosint: quod item de aliis sanctis merito præsumendum; unde sanctus Ambrosius dixit: *Ecclesia in commune orat, in commune operatur, in commune tentatur*. Ex illis meritis et precibus Christi, beatæ Virginis, et sanctorum, formatur thesaurus communis bonorum spiritualium, quibus inclinatur divina misericordia ut facilius indulgeat personis quibus applicantur. — Thesaurus ille constituitur sub potestate clavium: dispensatur scilicet a primis pastoribus, juxta designationem et modum institutum ab Ecclesia, nemo quippe

¹ Cf. Suarez, in III^m partem S. Thomæ, disput. XLVIII, sect. I et II.

disponere valet de thesauro communi, nisi de consensu, ac per delegationem Ecclesiæ, scilicet S. Pontificis, Patris omnium fidelium. — Quoties igitur benedictiones fiunt, ex præscripto Ecclesiæ, ritumque ab ea probato, fideles quibus applicantur possunt obtinere, vi communionis sanctorum, effectus supernaturales intentos his benedictionibus. Effectus non producuntur infallibiliter, *ex opere operato*, ut in sacramentis, quia hujusmodi efficaciam Deus solus potest alicui signo annectere. Suos effectus benedictio ecclesiastica operatur 1^o impetrando a Deo dispositiones convenientes; 2^o tribuendo animi dispositionibus uberiora dona quam assequerentur fideles, cæteris paribus, si non interfuisset benedictio. Utrumque habet benedictio, non infallibiliter, sed ex benignitate Dei, merita et preces Ecclesiæ misericorditer respicientis.

Benedictio multiplex distinguitur: 1^o alia quæ personis, alia quæ rebus inanimatis proxime confertur; 2^o alia *verbalis*, ut aiunt, quæ verbis et signis perficitur; alia *realis*, in qua fit unctio olei benedicti, vel chrismais; 3^o alia *invocativa* quæ adhibetur tantummodo ad invocandum auxilium divinum in gratiam fidelium qui re benedicta utentur; alia *constitutiva*, qua res a profano separatur, eique confertur esse sacrum, si dicere fas est, quo fiat materia conveniens ad sacrificium, seu ad sacramentum, vel instrumentum salutis. Eo modo benedicuntur chrisma, calices, etc...; 4^o demum alia est *episcopalis*, seu reservata Episcopis juxta institutionem Ecclesiæ, alia *sacerdotalis*, quæ a sacerdote dari potest.

His prænotatis, facilius dignoscitur quid sit benedictio Ecclesiarum, et in quo benedictio simplex a consecratione distinguatur.

*553. — II. Benedictio Ecclesiarum est oratio qua minister, ad id rite deputatus, ædem Deo dicat ad cultum, ac simul eum precatur ut suo spiritu benigne ac misericorditer assistat fidelibus ad eam accedentibus, ut cuncti, hoc in loco deprecaturi, gratiæ cœlestis auxilium sentiant, et inde effugiant nequitiae spirituales.

Benedictio simplex est *sacerdotalis* et *verbalis*, quatenus fieri potest a sacerdote qui hoc munus ab Episcopo acceperit, et in ea peragenda non adhibetur unctio sacra olei, nec chrismatis, sed aqua benedicta. Consecratio est benedictio *realis* et *episcopalis*, quatenus fit cum sancto chrismate, et a solo Episcopo peragi potest, secluso casu Indulti apostolici. Consecratio proinde est benedictio facta excellentiori modo, qui melius significat summam sanctitatem loci divino cultui dicati. Episcopus, clerus, populusque ad illam se disponunt precibus, atque jejuniis, quod omnes servare tenentur, nisi data sit dispensatio; celebrantur insuper coram reliquiis primæ vespere dedicationis; tandem multi ritus solemnes in Pontificali descripti servantur: quæ totidem non sunt in usu pro simplici benedictione¹.

Effectus primarius utriusque benedictionis, sed consecrationis præsertim, est ut inhæreat sacris ædibus sanctitas quædam, quæ illas in perpetuum aptas divino cultui efficit, et impedit quominus convertantur in usus profanos, quamdiu conservant formam moraliter eandem; nam secundum regulam juris: *Semel Deo dicatum, non est ulterius ad usus humanos transferendum.* (Reg. H, in VI^o.) Nunquam igitur iteranda est consecratio. Quod si vero ædes diruatur, amittit suam consecrationem; et tamen, olim jura requirebant ut, ex quadam decentia, ligna Ecclesiæ dedicatæ ad aliam Ecclesiam assumerentur, vel cederent usui monasterii, aut igne consumerentur, in laicorum autem usum non admitterentur. Cap. *Ligna*, 38, distinct. I, DE CONSECRATIONE. Juxta hodiernam disciplinam, licet, ex inveterata

¹ Consecratio fieri potest a pluribus simul Episcopis, ut supponit cap. *Cum ex eo*, 14, DE POENITENTIS ET REMISSIONIBUS, in quo dicitur: « Decernimus, ut cum basilica dedicatur, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus Episcopis dedicetur. » Plurima sunt exempla dedicationum, in quibus duo, tres, aut plures Episcopi, partem rituum singuli expleverunt; quapropter nullum dubium moveri debet de valore consecrationis Ecclesiæ cujus in parietibus cruces, aliæ ab uno, aliæ ab altero Episcopo, sacro chrismate inunctæ sunt; de quo erudite disserit Azevedo, in *Exercitatione* LXIX, quæst. IV.

consuetudine, ligna, lapides, terram egestam Ecclesiæ quondam consecratæ, ad profanos usus adhibere. Ipsismet Ecclesias dirutas in usus profanos, non sordidos tamen, convertendi facultatem Episcopis tribuit concilium Tridentinum. (Sess. XXI, cap. VII.) Quanto magis id licitum reputari debet de lignis, rudibus et cæmentis Ecclesiarum dirutarum¹!

Non assignatur discrimen quoad spirituales effectus quos consequuntur fideles, inter Ecclesiam benedictam et Ecclesiam consecratam. « Ecclesia benedicta, et auctoritate Episcopi ad sacramenta administranda erecta, ait Quarti, gaudet eisdem privilegiis quibus Ecclesia consecrata, ut docent communiter doctores in titulum DE CONSECRATIONE, quos citat et sequitur Suarez. » (*Commentaria in Rub. Missalis*, part. III, tit. x, sect. 1, dub. 3.)

554. — III. Ecclesias et oratoria publica benedici jubent canones. « Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus quibus nota sunt Veteris et Novi Testamenti præcepta, » ait Felix Papa IV, in epistola relata apud Gratianum. Cap. I. *Consecrationem*. I. Dist., 1, DE CONSECRATIONE. Hæc quidem disciplina non est jure divino præscripta; alioquin nunquam concederetur facultas celebrandi sacra mysteria extra Ecclesias, nec in ædibus privatis; est tamen maxime consona traditionibus Veteris Testamenti, eamque servari suadet, quantum fieri potest, reverentia sacrosancto sacrificio debita. Eam ab apostolicis viris traditam fuisse tenent communius canonistæ, et cunctis retro sæculis, saltem ab initiis quarti sæculi, inviolabiliter observatam, ex quo scilicet tempore, pace reddita fidelibus, liberum Episcopis fuit sacros ritus in publico facilius peragere. Historiarum monumentis traditur dedicationem, quæ *Natalis dies* Ecclesiarum dicebatur, magna solemnitate ubique celebratam; cujus etiam dedicationis memoria quotannis,

¹ Cf. Azevedo, *Exercitationes ecclesiasticæ*, exerc. v^a, de *Parietinis, lignis et cæmentis ecclesiarum*.

die anniversaria, habebatur. Episcopi quibus mos olim fuit, ab antiquis Patribus traditus, annuam commemorationem suæ consecrationis et assumptionis ad episcopatum recolere, majori adhuc studio curandum duxerunt ut non prætermittetur anniversarium festi natalis suæ Ecclesiæ.

Leges canonicæ nullam præscripserunt benedictionem oratoriorum privatorum, nullumque ritum ad hujusmodi benedictionem tradunt rituales libri. Unde anno 1820, die 11 martii, S. Cong. respondens ad dubia sibi proposita ab Episcopo provinciæ Compostellanæ, animadvertit quod Oratoria privata nunquam benedicantur ritu præscripto in Rituali Romano pro publicis oratoriis¹. Decet tamen hæc sacella aliqua benedictione sanctificari, si debeant sacris mysteriis modo permanenti inservire.

555. — II^o *Quid sit titulus quo Ecclesiæ, intra ritus benedictionis, donantur?*

I. Quemadmodum homini baptizato nomen imponitur, ita Ecclesiæ dedicatæ titulus datur quo nuncupatur, et ab aliis Ecclesiis, proprio veluti nomine, dignoscitur.

Patronum cum titulo Ecclesiarum simul confundi consuetum est, etsi detur discrimen inter utrumque. *Patronus* est persona aliqua cujus protectioni Ecclesia commendatur, scilicet beatissima Virgo, Angelus, vel sanctus; *Titulus* significat non solummodo personam, sed etiam mysterium, seu rem ad personam pertinentem, v. g. conceptionem immaculatam Virginis, vincula sancti Petri, etc., quo mysterio, vel re sacra, inscribitur et appellatur Ecclesia. Patronus pro titulo sumitur quando suum nomen in titulum Ecclesiæ indit, et tunc ex usu communi Ecclesia nuncupatur nomine sui tituli. Sic, exempli causa, Ecclesia sancti Petri dicitur *titulus sancti Petri*; qui mos præsertim Romæ servatur pro Ecclesiis insignioribus, quibus præficiuntur Cardinales.

¹ Cf. Annotationem editoris decretorum authenticorum Cong. Rituum ad decret. n^o 4565.

II. Juxta traditiones christianas nulla erigitur, nec benedicitur Ecclesia quin titulus ipsi simul conferatur: et in ipsamet benedictione primarii lapidis sacre ædis ædificandæ, Rituale Romanum præscribit ut Episcopus, seu sacerdos, nominet « sanctum vel sanctam, in cujus honorem ac nomen fundabitur Ecclesia. » Constitutus autem semel titulus Ecclesiæ, mutari deinceps non debet, nisi fiat nova Ecclesiæ dedicatio; stante enim « eadem Ecclesia integra cum eadem dedicatione, inane videtur, ait Azevedo, ac prope sacrilegum, « abdicato priore titulo, novum alium inducere. » (*Exercitatio* LXIX, n^o 2.)

*556. — III^o *Quandonam Ecclesiæ exsecrantur, aut polluantur, et quid observandum ut reconcilietur Ecclesia polluta?*

Exsecratio et pollutio Ecclesiæ confundi non debent; hæc duo sunt enim unum ab altero distincta.

I. Ecclesiæ *exsecrari* dicuntur, quando amittunt suam consecrationem, et ex sacris in profanas aedes vertuntur; id vero accidit quoties destruuntur totaliter, aut nobiliori parte; v. g., si mutetur sanctuarium et altare, tametsi iterum construatur ex iisdem lapidibus, eodemque loco et situ. Non idem dicas si tecta solummodo et partes lignæ comburantur, aliove casu concidant, parietibus illæsis; nec si parietes ipsi successive per partes reparentur, adeo ut nullo tempore, major notabiliorque pars simul corruerit. Alexander III ad proposita dubia quæ rem præsentem attingunt, rescripsit: « Ligneis ædificiis Ecclesiæ « vestræ casu consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensa « principalis altaris in sua extremitate modicam passa fracturam, inquisitioni tuæ duximus respondendum quod, cum « parietes in sua integritate permanserint, et tabula altaris « mota, vel enormiter læsa non fuerit, ob causam prædictam « nec Ecclesia, nec altare, debet denuo consecrari. » Cap. *Ligneis*, 6, DE CONSECRATIONE. Consecratio non hæret ligneis, nec tecto, sed altari et parietibus; insuper non est quid physicum

sed morale; ergo, nihil refert ad consecrationem si tecta comburantur, aut concidant ligna; nec etiam refert si parietes ipsi successive reficiantur, dummodo Ecclesia censeatur eadem semper remanere.

Quando Ecclesia exsecrata fuit, inservire non potest sacris mysteriis donec denuo benedictionem, seu consecrationem acceperit, quia suam priorem sanctitatem penitus amisit, et aedes profana effecta est.

*557. — II. Ecclesiæ *pollutæ* dicuntur, quando perpetratur delictum quod directe earum sanctitatem offendit, atque ex præscripto canonum impedire debet quominus ibidem sacra munia agantur, quamdiu locus non sit ritibus piacularibus reconciliatus. Delicta quibus Ecclesiæ polluuntur sunt: homicidium, injuriosa et graviter culpabilis effusio sanguinis humani, peccatum externum consummatum contra castitatem, et sepultura hominis infidelis, aut excommunicati.

1º Primus casus est, si sanctitas loci violetur homicidio, aut suicidio voluntario et culpabili. Non polluitur Ecclesia si quis casu occidatur; item, si quis injuste aggressus, vimque repellens, servato moderamine inculpatæ tutelæ, alterum occidat; si quis percussus extra Ecclesiam ictu lethali, ad Ecclesiam confugiat et ibi moriatur; siquidem in his, et cæteris similibus casibus, homicidium non est injuriosum in Ecclesiam. E contra, quoties aliquis ictu lethali percutitur in Ecclesia, id est, intra ambitum templi, a pavimento ad fornicem interioriorem, locus polluitur, etiamsi vulneratus alibi succumbat. Cap. *Proposuisti*, 4, DE CONSECRATIONE.

2º Alter casus est notabilis et graviter culpabilis effusio sanguinis humani, de qua eadem notanda veniunt ac de homicidio. Vulnus, quantumvis atrox, si nec sanguis effundatur, nec mors sequatur, non inducit pollutionem; quia in istis leges strictè interpretamur. Cap. *Si Ecclesiam*, eod. titulo, in vrº.

3º Tertius casus est effusio seminis humani graviter illicita, intra Ecclesiam, si tamen peccatum sit publicum notorietate

facti, seu juris. Communis est doctorum sententia occisionem, aut sanguinis effusionem, vel peccatum contra castitatem, non polluere Ecclesiam quamdiu crimen est occultum. Canonica legislatio potissimum attendit ad scandalum a fidelibus removendum; fideles autem non patiuntur scandalum ob injuriam sacris ædibus illatam, quamdiu reus suum delictum non confessus est, nec adest probatio certa seu per notorietatem facti, seu per condemnationem rei de crimine convicti. Si postea vero peccatum publice innotuerit, Ecclesia polluta habebitur, et necesse erit eam reconciliari sacris ritibus. — Cap. *Si Ecclesia*, 10, eod. tit.

4º Quartus casus est, si excommunicatus denunciatus, vel infidelis, sepultus sit in Ecclesia.

Sepultura excommunicati tolerati non polluit Ecclesiam, siquidem ex Bulla *Ad evitanda scandala*, non tenemur vitare excommunicatos toleratos; non est autem cur debeamus vitare post mortem eos quibus vivis licitum fuit communicare. Hæc communicatio non cedit directe in favorem excommunicatorum, sed in gratiam fidelium, ne priventur bonis spiritualibus, ob communicationem cum excommunicatis toleratis.

Difficultas non mediocris est de sepultura hæretici notorii, sed non denunciati nominatim, nec pertinentis ad sectam ab Ecclesia separatam. Dubium oritur ex tenore Bullæ *Ad evitanda scandala* qualis inserta fuit in concordatu Leonis X cum Francisco I, quo vitari jubetur, præter denunciatos, cæteros omnes quos incidisse in excommunicationem ita notorie constat ut nulla tergiversatione celari possit: insuper plures textus juris prohibent ne hæretici notorii sepeliantur in locis Deo sacris. Nobis videtur denegandam quidem fore sepulturam ecclesiasticam hæreticis notoriis, sed non idcirco concludendum arbitramur Ecclesiam pollui si hæreticus in ea tumuletur. Theologi ita communius docent. « Si in Ecclesia fuerint sepulti hæretici non denunciati nominatim, etiamsi alias notorii, non censetur violata Ecclesia, nec indiget reconciliatione, »

ait Ferraris, qui in eo aliis doctoribus consentit. (V^o *Ecclesia*, art. IV, n^o 54.)

Aliud dubium movetur an sepultura infantis non baptizati, sed ex parentibus fidelibus nati, polluatur Ecclesia. Communior opinio affirmat. Plures tamen haud levis auctoritatis viri aliter sentiunt: existimant scilicet non tumultandum esse infantem in Ecclesia, nec in cœmeterio benedicto; si tamen contigerit eum ibidem sepeliri, non exinde pollui locum sacrum. Textus quos canonistæ in contrarium invocant, nempe 27 et 28 distinct. I de *Consecratione* apud Gratianum, non statuunt de tali infante, sed de pagano et infideli. Nec est rationis paritas, quia pagani et infideles detestantur fidem christianam, et, ob eam potissimum causam, illos a sepultura christiana alienos esse voluit Ecclesia; at infantes christianorum fidem et personam parentum repræsentant, in quorum etiam fide baptizantur, atque consequenter nulla irreverentia irrogatur loco sacro ex illorum sepultura. Ita Schmalzgrueber, Engel, et alii canonistæ in suis commentariis tituli XL DE CONSECRATIONE, etc. In praxi standum est præscriptionibus statutorum localium. Parisiis, rituale præscribit ut cœmeterium rursus benedicatur, si sepultus fuerit infans mortuus absque baptismo, quod de hæreticis similiter statuit. (*De Exsequiis*, n^o 8.)

*558. — III. Præcipuus effectus pollutionis Ecclesiæ est ut in ea, donec reconciliata sit, non celebrentur divina mysteria. Si forte contingeret Ecclesiam pollui ipso tempore quo fit sacrum, cessandum est ab eo, si autem consecrationem delictum perpetretur; si autem peracta consecratione id contingat, sacrosanctum sacrificium non abrumpitur. Consummato sacrificio, suspenditur aliud quodvis officium divinum, transfertur in alium locum sancta Eucharistia, Ecclesia suis ornamentis deudatur.

Qui in Ecclesia polluta celebraret, peccaret lethaliter: nullam tamen censuram nec irregularitatem incurreret. Cap. *Is cui*, 18, DE SENT. EXCOM., in VI^o.

Existimant plures doctores, quos citat et sequitur Quarti, Episcopum posse dispensative concedere ut fiant divina mysteria in Ecclesia polluta, si necessitas urgeat, nec suppetat tempus Ecclesiam reconciliandi.

Ritus in peragenda reconciliatione Ecclesiæ, idem non est si Ecclesia fuerit solummodo benedicta, ac si fuerit consecrata. In priori casu, sacerdos deputatus ab Episcopo potest reconciliare Ecclesiam pollutam, servato ritu in Rituali Romano præscripto, et adhibita aqua *exorcizata*, ut dicitur in cap. *Si Ecclesia*, 10, DE CONSECRATIONE, id est, aqua lustrali a sacerdote, juxta regulas consuetas, benedicta. Non pauci existimant necessariam non esse delegationem ab Episcopo. « Affirmat cum aliis Bonacina, ait Quarti, et favet Rituale Romanum « dicens Ecclesiam, si non fuerit consecrata, esse reconciliandam a sacerdote delegato; communiter tamen asserunt non requiri licentiam Episcopi ex præcepto, sed ex decentia, quia « textus citatus *Si Ecclesia* id non exprimit, et contrarium « potius indicat. »

In illo scilicet textu præcipitur ut si « Ecclesia, non consecrata, fuerit polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne « divinæ laudis organa suspendantur; » quod dici non posset si expectari deberet mandatum Episcopi, animadvertit Pirhing¹.

In secundo casu, si nempe Ecclesia fuerit consecrata, reconciliatio fieri debet ab Episcopo; nequam vero a simplici sacerdote, nisi habuerit privilegium Sedis Apostolicæ². Epi-

¹ Quarti, *loco cit.*, part. III, tit. x, dub. 1. — Pirhing, in tit. XL, lib. III, n^o 21. — Collet, *Traité des saints mystères*, chap. VIII, n^o 17.

² Ita præscribitur in Rituali Romano, et responsum fuit die 6 junii 1626 a S. Cong. Rituum, in causa *Cameracensi*. Aliter fieri posse, usu obtinente, supponitur in Rituali Parisiensi, de *Sacrificio missæ*, n^o 19, ubi dicitur: « Usus obtinuit ut, facultate prius ab ordinario impetrata, sacerdos illam (Ecclesiam olim ab Episcopo consecratam) reconciliet juxta « formam in Pontificali Romano descriptam. » Usus ille incepit per decursum sæculi XVII; nam obtinuisse dicitur in Rituali anni 1697, sub Card. de Noailles, dum regula Ritualis Romani datur absque ulla restrictione in Rituali anni 1654 sub Fr. de Gondy.